



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **VENERABILIS FRATER** B. M. V. IMMACULATA A
«CONCORDIA», IN DIOECESI FOROCONCORDIANA
IN ARGENTINA, PATRONA DIOECESIS ILLIUS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Venerabilis Frater
Adolfus Gerstner, Episcopus Foroconcordianus, datus Litteris die XI mensis Augusti, hoc anno, enixe rogavit ut beatam
Virginem Mariam omni labe expertem, a «concordia» cognominatam, Patronam apud Deum dioecesis suae
confirmaremus: beatissimam enim Christi Matrem tum titulo «Immaculatam» iam a primaevis historiae suea temporibus a
populo fuisse cultam singulari pietate ac religione; tum adiecto titulo a «concordia» fuisse deinde a fidelibus optatae pacis
causam habitam, sive praeteritum saeculum, sive futurum. Qua re clerum gregemque fidelium uno ore petere ut quam
ipsi filiorum amore electionem fecerint, Episcopus probaverit, Vos auctoritate Nostra in perpetuum confirmaremus. Vos
autem, quibus utrumque sacrum: et Christi Matrem Reginamque caelorum exaltari, et filios, tot discordiae periculis
obnoxios tam difficilibus temporibus, validissimo Matris praesidio, tamquam vallo, muniri; aequissimo quidem animo
admotae expostulationi concedimus, id profecto confisi, fore ut, tanta Virgine protegente, candida et suavissima pax non
modo in dioecesi Foroconcordiana, sed etiam tota Argentina perennis perseveret. Qua re, iis probatis quae Sacra
Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re statuerit, factis a Nobis facultatibus, placet beatam Mariam
Virginem Immaculatam a concordia esse et haberi Patronam caelestem dioecesis Foroconcordianae, id a Deo simul
petentibus ut, aucta fide et amore filiorum, Matris etiam auxilia augeantur. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae,
apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Septembris, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri
altero.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana